







DVCE ET AVSPICE IOVA.
 Positionum Physiologicarum, primæ solidioris
 Medicinæ partis.

DISPVATIO SECVNDA.
 DE

TEMPERAMENTIS,
 Quarum tuendarum,

Alma & diuina fauente gratia, Preside
 Clarissimo Viro Dn. CORNELIO BO-
 KELIO, philosophiæ & Medi-
 cinæ D.

In florentissima Academia IVLIA,
 quæ est HELMAESTADII
 Guelphiorum.

Partes subibit

JOANNES CRVGERVS
 Semno Gardalegiensis Medicinæ
 Studiosus

Ad diem 30. Octobr.

HELMAESTADII Imprimebat Iacobus Lucius
 Anno cl. 15. IVC.





NOBILITATE GE-
NERIS ET VETVSTA CLARISSI-
mâque maiorum progenie, virtute propria insi-
gni, eruditione & multarum rerum cognitione nobiliss.
viro VVOLFGANGO - FRIDERICO ab ALVENS-
LEBEN, VALENT. ab ALVENSLE-
BEN p. m. filio.

NEC NON
*AMPLISSIMIS, PRVDENTISS.
ET CONSVLTISSIMIS VIRIS INCLVTAE REI-
public. GARDALEGIENSIS COSS.
& Senatoribus fidelissimis Dominis & Me-
cœnatibus suis perpetua animi Reue-
rentia vnice colendis.*

Hasce positiones de Temperamentis in grati
animi symbolum submisse & re-
uerenter

Dedicat & consecrat

IOANNES CRVGERS GARDALEG.

Respondens.

DE

DE TEMPERAMENTIS

Corporis humani.

I.



Temperamenti vocabulum græcis *κράσις* dictum, pro, varijs suis differentijs variè etiam tum à vulgo tum autoribus vsurpatur.

II.

Aut enim à vulgo ab humoris alicuius prædominio in corpore denominatur & complexio dicitur, hinc & Galenus temperamentum Sanguineum, Cholericum phlegmaticum &c. à prædominio humorum dixit.

III.

Aut ab exuperantia alicuius qualitatis in Elemento præpollentis nomen suum sortitur, & temperamentum calidum, frigidum, humidum &c. quasi calidus, frigidus humidus &c. dicitur.

IV.

Etsi autem in mistura rectè à prædominio tum vnus, tum duarum qualitarum præpollentium denominari potest: tamen nisi quis exuperantias ipsorum tum in seipsis, tum ad alia collatas, optime distinguat, quantumq; à vero temperato recedant, indaget, seipsum sæpius confundet. quare quid sit Temperamentum verè, definiendum est.

V.

Temperamentum itaque non est ipsa mixtio, sed quatuor potentiarum elementorum mixtum ingredientium æqua proportio.

VI.

Neque enim sola elementorum moles seu substantiæ, neque solæ vires; sed vtraque spectanda sunt.

VII.

Si enim sola eius moles consideraretur, terra quoduis mixtum facile superaret, cum quodlibet mixtum ex potiore sui parte crassa & maximè terrestri constare manifestum sit.

VIII.

Econtra si solæ qualitates elementorum perpenderentur, ignis vt qualitate sua actuosissimum elementum reliqua omnia facile euinceret & consumeret.

Pro

IX.

Pro varia itaque & diuersa harum virium in elementis commixtione, æquali scilicet & inæquali, variæ etiam temperamentorum differentiæ oriuntur.

X.

Quod si exactè paribus viribus ad mixtionem concurrant, ita vt nullius omnino excessus aliquis sit, temperatum modo definitum oritur, & *ἔυκρατον* absolutè dicitur.

XI.

Atque hoc Temperamentum regula est & perpendiculum, ad quod reliquæ temperamentorum species examinari & ponderari debent, estque duplex:

XII.

Aut enim extremorum ita exactam æqualitatem obtinet vt vniuersa suâ substantiâ & pondere siue arithmetica proportione (vt loquuntur) verissimum suorum extremorum medium habeatur, & temperatum absolutè ad pondus nuncupatur.

XIII.

Aut extremorum suorum æqualitatem seu medietatem obtinet, quæ vel ipsi in suo corpore, genere vel specie, in quibus consideratur, proportione geometrica numeris omnibus absolutis ita competit, vt salubriter viuere & perfectè actiones omnes edere possit & temperamentum *ἔυκρατον* ad iusticiam dicitur.

XIV.

Primi generis temperamentum nunquam re ipsa in natura existat, non multum refert scire medicum, modo ad hoc ratione conceptum reliqua temperamenta examinet; cum tamen corpora ab extremo ad extremum tendentia per exacte medium aliquod deuenire oporteat, dari quodammodo necesse est.

XV.

Temperamentum ad iusticiam, cum magna corporum temperatorum inter extrema detur latitudo, non dubium est quin inueniatur.

Pro-

XVI.

Proprium eius est actiones omnes tum internas tum externas perfecte obire & omnibus iniurijs externarum causarum quam maxime resistere.

XVII.

Ab hoc itaque temperamento *συμμετρω* & *ευκράτω* quidquid deficit intemperatum dicitur & à qualibet sua præpollente qualitate nomen sortitur.

XVIII.

Cum verò quatuor sint summæ qualitates temperamentum constituentes, ex quarum qualibet prædominante, corpus intemperatum oriri potest, quatuor etiam summæ corporum intemperatorum differentia constitui possunt: Calidum scilicet, frigidum, humidum, & siccum & dicuntur intemperata simplicia.

XIX.

Accidit etiam duas dictarum qualitatatum reliquas in mixto euincere, idque secundum quatuor *συνυγίας*; hinc alia oriuntur quatuor corporum intemperatorum differentia: scilicet calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum. & dicuntur intemperata composita.

XX.

Novem itaque inveniuntur temperamentorum differentia specie distincta: Vnum temperatum ac veluti perpendiculum, ad quod reliqua octo intemperata, quatuor scilicet Simplicia & quatuor Composita, examinantur.

XXI.

Hæc ipsa vero temperamenta à præpollente sua qualitate vel absolute à prædominante qualitate ita dicuntur, vel comparatiue ad aliud. vtpote ad medium, suam aut aliam quamuis rem.

XXII.

Ad medium si conferantur vel genus generi vel species speciei vel species generi & econtra confertur. Sic homo homini collatus, alter altero temperatior existit, homo leoni, ille temperatus, hic minus temperatus &c.

XXIII.

Ad aliam rem aliquam: vt cerebrum collatum cordi est frigidum, collatum ossi est calidum, quo fit vt nihil vetet quo minus contraria plerumque de eodem subiecto prædicentur diuersis relationibus. Hinc tanta latitudo existit vt infiniti penè gradus temperamentorum constitui possint.

XXIV.

De temperamento igitur aliquo iudicaturus primum has relationes benè obseruet & num absolutè an comparatè ad aliud de eo quærat animaduertat, quod nisi fecerit à vero iudicio vt aberret necesse est.

XXV.

Temperamenta hæc partim actu partim potentia mixtis insunt: Ea quæ actu insunt, tanquam sensibilia à proprio suo sensu tactu videlicet facile apprehenduntur & iudicantur cuius instrumentum præcipuum est Cutis.

XXVI.

Neque vero cuiuslibet hominis Cutis, neque quælibet pars eius; sed temperati hominis pars tēperatissima cutis instrumentum tale dicitur, omnis omnino qualitatum excessus expers, qualis ea est quæ in vola manus esse dicitur.

XXVII.

Internarum vero partium temperamenta potentiâque ipsis inhaerentia, tum ex proprijs ipsarum actionibus, compositione, alijsque accidentibus cognosci & diiudicari possunt. Atque per has notas tum vniuersi corporis tum singularum eius partium temperamentum examinatur.

XXVIII.

Corpus vero vniuersi cum non simplex sit, sed varijs constet partibus Similaribus & Dissimilaribus, hisque vel principibus vel minus principibus, singulisque suis temperamentis proprijs præditis, non simpliciter de eo iudicandum est.

XXIX.

Vt enim non ex vna & certa aliqua actione de partis alicuius temperamento sed ex omnibus simul iunctis iudicium ferimus; Sic & non ex vnius alicuius partis sed omnium, in primis principum temperaturâ de vniuerso iudicandum est. Qua-

XXX.

Quare primum partium Similarium, postea aliquot principum temperamenta examinabimus & quomodo ex his cognitis de uniuerso iudicium instituendum sit, docebimus.

XXXI.

Similarium partes aliæ sunt sanguineæ, aliæ spermaticæ, hæ frigida & sicca, illæ calida & humida.

XXXII.

Sanguineæ sunt partes carnosæ, quæ pro sanguinis parte frigidiore vel sicciore &c. frigidiores & sicciore euadunt.

XXXIII.

Spermaticarum omnium frigidissimum & siccissimum occurrit Os, quod sequuntur cartilago, neruus, tendo, ligamentum, membrana, Vena, arteria &c. cutis omnium temperatissima est.

XXXIV.

Dissimilarium partium temperamentorum notæ tum à proprijs ipsarum actionibus, tum excrementis & externis accidentibus desumuntur.

XXXV.

Cerebri itaq; tanquam partis primariæ temperati signa sunt: ab actionibus proprijs; apprehensio facilis, iudicium & memoria firma, sensuum omnium exteriorum perfectio &c. ab excrementis: si ea quantitate & qualitate fuerint mediocria, minus colorata, pili leues, medij in albedinem, magis tamen ad albedinem, declinantes: ab externis; si iniurijs externis maximè resistat, calore vel frigore minus lædatur, color faciei floridus, venæ oculorum mediocres, somni leues & minus diuturni.

XXXVI.

Calidi cerebri signa sunt; ab actionibus; Spirituum, ingenij sensuumq; omnium in discursu velocitas, verum mobilis & inconstans; ab excrementis; ea pauca, salsa & cocta, pili paucissimi, crispis, ruffi, vel nigrescentes; ab externis; calidis & odoratis facile offenditur, iuuatur frigidis, caput & facies rubicunda, oculorum venæ distentæ, somni breues & faciles.

XXXVII.

Frigidi signa contraria sunt: ab actionibus; sensuum omnium & sup-

functionum tarditas, & hebetudo; ab excrementis; plurima ea & incocta insipida, capilli subruffi, leues & stabiles; ab externis; frigidis facile offenditur, facies pallida, venæ oculorum obscuræ, somni longi ac profundi.

XXXIIX.

Sicci cerebri signa sunt: ab actionibus; apprehensio difficilis, memoria firma & sensus exacti: ab excrementis, pauca ea & prurimum meatibus facientia, capilli pauci, crispi & robusti, colore subruffo cito caniciem inducentes: ab externis, à siccis facile læditur, facies & oculi macri, somni pauci & rari.

XXXIX.

Humidi cerebri signa sunt: ab actionibus, apprehensio facilis, memoria labilis, sensuumque omnium inconstantia: ab excrementis, ea copiosa, cruda & insipida, pili multi & leues: ab externis, læditur humidis, iuuatur siccis, caput oculique tumidi, venæ distentæ, somni multi & profundi.

XL.

Cerebri calidi & sicci signa sunt: ab actionibus, sensus omnes acriores & firmiores, motus omnes celeriores & perfectiores, ad apprehendendum quodammodo tardiores, ab excrementis; pauca ea vel nulla, crassiora concocta vel salsa & exusta, pili nigri crispi & rubri vsque ad tempus vigoris celerioris generationis: ab externis, siccantibus offenditur, humectantibus iuuatur, partes vicinæ vt genæ & facies tota, venæq; graciles sunt, oculi sicci & rubicundi, vigiliæ multæ & somni rari.

XLI.

Calidi & humidi signa sunt: ab actionibus, ingenium mediocre, sensus hebetiores & motus tardiores, apprehensio facilis, memoria inconstans: ab excrementis, plurima ea & mediocriter cocta, pili plurimi, plani recti & subflauis nec facile caluitium inducentes: ab externis, à similibus facile læditur calidis scilicet & humidis, partes capitis molles, carnosæ, venæ oculorum amplæ, facies colorata & blando calore prædita, somnolenti, vigiliarum impatientes.

XLII.

Frigidi & sicci signa sunt: ex actionibus, ingenium tardius, verum acutum, & in prima iuuentute ad vigorem vsque, sensus integri & perfecti

perfecti, procedente ætate & senio habescunt & marcescunt: ab excrementis; ea habent plurima destillationes & grauedines excitantia, pili ipsi rari & cito caluitiem inducentes, colore subruffo vel albo: ab externis, facile læduntur frigidis, facies cito decoloratur oculorum venæ obscuræ, omnes denique partes capitis citam senectutem inducentes, somni pauci.

XLIII.

Frigidi & humidi signa sunt: ab actionib. sensus omnes hebetiores, motus deprauati & inconstantes, apprehensio facilis, memoria minus prompta: ab excrementis, ea plurima, insipida & pituitosa grauedines & catharros generantia: ab externis, à frigidis facile læditur, caput & oculi tuberi, venæ distentæ, somno quam maxime dediti.

XLIV.

Cordis temperati signa sunt: à proprijs ipsius actionibus, respiratio mediocris & facilis, pulsus æqualis non tardus nimium, nec nimium velox, affectus moderati: ab excrementis, omnia ea mediocria, pili rari & tenues in thorace: ab externis, non facile externo aëre afficitur aut læditur, arteriarum mediocritas in carpio deprehenditur.

XLV.

Cordis calidi signa sunt: ab actionibus, respiratio magna, pulsus frequens & velox, animus magnus, præceps ad iram & valde audax: ab excrementis, exigua ea & pauca, pili in thorace plurimi & etiam hypochondrijs: ab externis, thorax magnus, capite existente paruo, ilia distenta,

XLVI.

Frigidi cordis signa sunt: ab actionibus, pulsus parui & tardiores, respiratio pro thoracis capacitate ei respondens, timiditas, ad omnes actiones & iram pigrities. ab excrementis, ea pauca, thorax glaber, ac paruus ilia exigua, capite existente magno.

XLVII.

Sicci cordis signa sunt: pulsus duri & rariores, respiratio frequens, ad iram minus prompti, sed ægre placabiles, Excrementa pauca, thorax mediocriter pilolus, hypochondria exigua.

B

Cordis

XLVIII.

Cordis humidioris signa sunt: pulsus molles & vndosi respiratio magna sed rara, inconstantes, animo cito irascentes citoque placabiles: excrementa plurima: pectus verò glabrum.

XLIX.

Calidi & sicci cordis signa sunt: pulsus duri, veloces & frequentes, respiratio item magna & frequens, ad iram prompti, furiosi & vix placabiles: excrementa pauca sed fuliginosa: pili in thorace plurimi & ruffi, thorax autem secundum dictam proportionem distinguendus.

L.

Calidi & humidi cordis signa sunt: pulsus magni, molles & veloces, respiratio pulsui similis thorace iusta amplitudine respondente, systole celerior quam diastole; excrementa habent quam plurima; pectus mediocriter pilosum.

LI.

Frigidi & humidi cordis signa sunt: pulsus molles & vndosi, moribus sedatis, timidi & segnes; excrementa pauca & pectus glabrum.

LII.

Frigidi & sicci cordis signa sunt: pulsus duri & parui, respiratio moderata & parua, si thoracis magnitudo frigiditati cordis proportionata fuerit; si maior, rara & tarda, ad iram vt minus prompti sic minus placabiles, pectus habent depilatum.

LIII

His iam cuiuslibet partis constitutio seu decens conformatio addenda & cuiuslibet in qualitate excessus in propria partis cute quæ maximus eius index est ad tactum exploranda est, & ita cum reliquis corporis partibus tam principibus, quam minus principibus procedendum.

LIV.

Eodem modo à singularum partium actionibus propriis, excrementis & accidentibus externis de vniuersi temperamento iudicium sumimus quod si his temperatis correspondeat, temperatum, si minus, minus temperatum pronunciamus.

Tempe-

LV.

Temperati itaque corporis signa sunt, si actiones animales, vitales & naturales perfectas edat, id est, si ingenio mediocriter valeat, sensuum iudicio polleat, minus audax, minus ad iram præceps fuerit, si iustum cibum appetat, bene concoquat, cibum concoctum digerat & in vniuersum corpus distribuatur, vsus veneris mediocris, si excrementa tum alui tum vrinæ pro assumti cibi potusq; quantitate respondeant, non admodum hirsutus neque glaber nimium, pili mediocres leues & subruffi; si externis iniurijs quam maximè resistat, cutis duritie & mollitie media, in facie magis colorata & totum corpus denique mediocriter carnosum.

LVI.

Calidi corporis signa sunt: in actionibus animalibus & alijs celeritas & promptitudo, ingenio facilis, cogitationibus & opinionibus inconstans, ad iram celer, pulsus & arteriæ magnæ & ad tactum calidæ deprehensæ, concoctio mediocris, sanguinis redundantia, venæ amplæ earumque distentio, in venerem procliuitas; Excrementa tum alui tum vrinæ pauca, pili ineunte ætate plurimi, accedente rariores vel caluities: In externis; corpus non admodum carnosum nec pingue, cutis corporis tactu calida & aspera, colore subruffo.

LVII.

Frigidi corporis signa sunt; Actionibus omnibus segniores & tardi, sensus hebetiores, animus meticulosus, venæ & arteriæ obscuræ, ad venerem tardiores; excrementa pauca & cruda, vrinæ albæ, pili pauci, albi vel subruffi; In externis, calidis facillime resistit, læditur à frigidis, corpus pingue magis quam carnosum, cutis frigida, colore alba, leuis tactu.

LVIII.

Humidi corporis signa sunt; iudicium hebes, actionum omnium inconstantia, apprehensio facilis, memoria labilis, mores animi mites, cito irascentes citoque placabiles, sanguinis copia crudi ob seminis copiam, Venus mediocris minus facunda tamen & tarda; excrementa multa plus tamen vrinæ, cutis totumque corpus molle rarum & album, venæ laxæ, pori cutis aperti:

LIX.

Sicci corporis signa sunt, actiones animales, in apprehendendo tardiores

diores sed constantiores & firmiores, ingenium sagax, memoria fida & sensus perspicui, affectus sedati & minus placabiles, concoctio debilis & sanguinis paucitas, actus veneris minus frequens, sed magis foecundus, excrementa pauca praecipue alui, vrina cruda ac tenuis, pili pauci flauis & nigricantes. Externa cutis arida & dura, corpus & facies gracilis, venae & arteriae exiguae.

LX.

Calidi & humidi corporis signa sunt: actiones animales celeriores, ingenium moderatum, memoria facilis, ira subito desinens, animus moderatus, concoctio bona, sanguinis copia, veneris usus copiosus & foecundus, excrementa plurima, tum alui tum vrinae, colore subrufo, pili molles plani vel subrufti vel nigrescentes, Externa, totum corpus carnosum & musculosum, cutis color albus, in facie floridus, venae amplae & distentae.

LXI.

Calidi & sicci corporis signa sunt: actiones animales constantes, ingenium sagax & acutum, memoria firma ad iram propensi, minus placabiles si offendantur; excrementa pauca, sicca, vrinae tenues, pili sicci nigri & crispi: Externa, totum corpus siccum & gracile, cutis arida, colore fusco vel nigro, venae & arteriae amplae & ad tactum pulsatiles.

LXII.

Frigidi & humidi corporis signa sunt: Actiones omnes seigniores, ingenium hebes, ira parcior, concoctio imbecillis, veneris raritas; Excrementa plurima eaque cruda, vrina turbida, crassa & alba, pili molles albi vel subflauis. Externa, totius corporis habitus mollis, frigidus, pinguis, minus carnosus, cutis tactu frigida mollis & alba, venae & arteriae latentes & obscurae.

LXIII.

Frigidi & sicci corporis signa sunt: actiones animales tardae quidem sed constantes, ingenium sagax & prudens, animus minus audax, concoctio difficilis, veneris impotentia; Excrementa plurima, & pituitosa tum alui tum faecum, pili pauci & subflauis: Externa; corpus gracile minusque carnosum, cutis tactu frigida, aspera & alba existit, venae exiles & graciles.

Atque

LXIV.

Atque hoc modo singularum partium temperamentis obseruatis, addita tum ipsarum tum totius iusta conformatione ac decenti staturâ de vniuersi temperamento facilius iudicabimus.

LXV.

Hæc ipsa verò temperamenta non solum in vniuerso sed in singulis eius partibus, modò æqualiter modò inæqualiter insunt. Æqualiter quando partes similes vel principes ad certum aliquod temperamentum conspirant. Inæqualiter quando pars princeps à principe temperamento, diuersa est, vt Epar ventriculo frigido plus iusto calidius aut quando pars aliqua sola inæqualiter afficitur, vt pars cerebri anterior calida, posterior frigida.

LXVI.

Æqualium temperamentorum notas, tum vniuersi, tum aliquot partium descripsimus. Inæqualium notæ simili modo etiam ex proprijs actionibus & alijs externis deprehenduntur.

LXVII.

Porrò Temperamentum aliud est Ingenitum, aliud Ascititium.

LXVIII.

Ingenitum est quod à primo ortu nobis inditum est & extremum quodammodo remanet.

LXIX.

Ascititium quod vel ætate, consuetudine, victus ratione aut externis qualia sunt sex res non naturales nobis acquisiuimus.

LXX.

Ætate corpora nostra mutari in confesso est, cum singulis ætatibus, quarum quinque precipue numerantur proprium & diuersum temperamentum acquirimus.

LXXI.

Prima ætas adolescentia dicta, infantiam ab ortu primo vsque ad annum septimum, pubertatem ab anno septimo ad decimum octauum & adolescentiam ad annum 25. complectens, est humida valde est & modicè calida, iuxta commune dictum: Corpora quo propiora ortui eò humidiora existunt.

B 3

Altera

LXXII.

Altera ætas ad annum 35. sese extendens iuventus dicitur & est calida & modicè humida vel sicca.

LXXIII.

Tertia ætas ad annum 45. vel ultra sese extendit, ac constans media & virilis ætas dicitur, estque temperata & media inter ultimam & mediam ætatem, hinc maximum corporis robur & perfectissimæ ea ætate actiones, atque in hac ætate cuiusque naturale temperamentum se maxime prodit.

LXXIV.

Quarta ætas ad annum 60. vel 65. producitur diciturque prima senectus hæc corpus frigidum & siccum reddit.

LXXV.

Quinta ætas vitam claudens, frigida senectus vel ultima ætas dicitur, omnium frigidissima & sicciss. existit.

LXXVI.

Eodem modo & aëre, sub quo regiones & anni tempora comprehenduntur, consuetudine & victus ratione temperamentum immutari potest: Verum non æque facile, raro enim homo ab ortu in-temperatus, his temperatus redditur aut qui natura est calidus & siccus frigidus & humidus efficitur.

LXXVII.

Observandum itaque Medico est, ut ingenitum Temperamentum ab ascititio distinguat & cauendum ne ab externis decipiatur, cum sæpius homo naturâ frigidus & humidus diuque soli & aëri expositus calidiori, calidus & siccus tactu deprehendatur.

DVBIA.

I.

AN adeps ex calore an vero ex frigore oriatur.
2. An sanguis menstruus tacitâ natura vi singulis mensibus excretus qualitate sua (ut multi opinati sunt) noxius sit, an vero quantitate tantum. Eorum tamen, qui quantitatis causam vehementiss. symptomatum agnoscunt, sententiam veriore[m] amplectimur.

F I N I S.

DE ELEMENTIS





ULB Halle
003 338 150


3



TA-OL

VD 77





1596, 3

13



DVCE ET AVSPICE IOVA.
*Positionum Physiologicarum, primæ solidioris
Medicinæ partis.*

DISPVATIO SECVNDA.
DE

TEMPERAMENTIS,
Quarum tuendarum,

*Alma & diuina fauente gratia, Præsidente
Clarissimo Viro Dn. CORNELIO BO-
KELIO, philosophiæ & Medi-
cinæ D.*

In florentissima Academia IVLIA,
quæ est HELMAESTADII
Guelphiorum.

Partes subibit
IOANNES CRVGERVVS
*Semno Gardalegiensis Medicinæ
Studiosus*

Ad diem 30. Octobr.

HELMAESTADII *Imprimebat Iacobus Lucius*
Anno cl. 15. IVC.

